

031

029

035

025

040

020

080

130

Ende

Anfang

16

quaerens Christi ovem lacerare. Ibi equus effrenis, furore plenus, et mulus intemperatae luxuriae. Currunt ibi innumerales vulpes, haeretici dolosi, lupi crudeles et rapaces, ibi saltat hoedus dissolutus, et vacca lasciviens, Sirena deceptione plena, capra ambitiosa, canis rabidus, pulex importunus. Terram illam, vineam quondam Domini Sabaoth, exterminavit caper de silva, Soldanus, abnegatus christianus, et singularis ferus, crudelis et maledictus Machometus depastus est vineam, vineam illam electam. Et borealis terribilis bellua, turcus, cum suo viperino genimine, longe lateque palmites verae vitis pullulantes conculcare, eradicare, et annihilare non cessat, devastans fines fidelium. Evangelium et crucem de terra omni tollere penitus conatur, sicut Soldanus ea abstulit de civitate sancta, et de toto regno Jerosolymitano.

(B) Non ergo re mansit in terra sancta, nec gregum obscura vestigia in memoria, vel signa quaedam praeteritorum, vel imitatio vitae sanctorum.

Cum enim peregrinatio dicitur: Egressere, et abi post vestigia gregum, jubentur imitari sanctorum exempla, humilitatem, disciplinam et devotionem, fidem, et caetera. Quae si non imitatus fuerit, sed post pravitatem cordis sui evagatus fuerit, verus peregrinus non erit, quia post vestigia gregum non incedit.

Quantum ad sextum et ultimum, in quo notatur consummatio actus in eo, quod dicitur: Et pasce hoedos tuos juxta tabernaculum pastorum. In hac clausula notantur duo. Primum qualitas sanctorum locorum, et quaedam proprietas eorum. Secundum, quid peregrinus agere debeat, dum ad illa loca pervenerit.

Quoad 1. considerandum, quod loca sancta, prophetica et evangelica, aliquo singulari et famoso exercitio et miraculo dedicata, vel aliquo actu solennizata, vel a sanctis inhabitata, dicuntur tabernacula pastorum, etiam si nullum ibi sit tabernaculum. Patet hoc ex Genes. C. 28. v. 17. de Jacobo, considerante se in quodam loco sancto sub dio, in quo loco non infuit domicilium; et tamen dixit: Hic non est aliud, nisi Domus Dei. Patet etiam ex locis in deserto magno, quae dicuntur tabernacula ejus in terra salsuginis. Quamvis autem

